

52. Secutus est Crucifixionem Quartus humili-
 lationis actus, Mors videlicet quam nos ab a-
 terna morte redempturus, non coactè, non in ^{4.} Mortu-
 vitè, non ex conditione quadam humanitatis
 suae propria, sed volens ac sponte subiit Ioh.
 10, 18.

53. Immortalitas enim duplici jure, partim ex
 naturae sanctitate ac puritate, quae quippè pec-
 cati expers, legi mortis minimè subiacebat, Rom.
 5, 23. partim ex unione hypostatica cum λόγῳ,
 qui est ipsissima vita, Christo homini compe-
 tebat.

54. Quòd igitur mori voluit, hinc & profun-
 dissima Exinanitio, & verò redemptionis nostrae
 perfectio ac sufficientia perspicuè elucet.

55. Veram autem, non fictitiam aut imagina-
 riam hanc fuisse mortem Christi, scriptura di-
 lucidè confirmat, dùm ipsum animam suam
 DEO patri commendasse, expirasse, Spiritum
 tradidisse & emisisse, asserit. Matth. 17, 50.
 Marc. 15, 37. Luc. 23, 46. Ioh. 10, 30.

56. Vera proinde in morte, animi & corporis,
 hoc est unionis naturalis: sed non itidem perso-
 nalis facta est solutio: siquidem partes huma-
 nitatis quantumvis inter se divulsae, & à se invi-
 cem separatae, neque in morte, neque post mor-
 tem extra verbi ὑπόστασιν suam τὸ εἶναι
 habuerunt: sed intra eandem tum etiam semper
 & ubique ἀδιασάτως καὶ ἀχωρίτως perman-
 serunt.

Quò